

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

aus sit, & uestigia Dei in natura uideat, quorum  
consideratio in philosophia bonas mentes ad qua-  
rendum Deum excusitat. Quare, &c.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buch-  
holtzer, amico charis-  
simo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime. Dei  
beneficio speramus aerem fore salubriorem dein-  
ceps, & contagia luis cessura esse, quae iam rara  
sunt. Sed tamen uellem filios uestros expectare tem-  
pus equinoctij: magis bella quam lucem metuo. Sed  
nos Deo commendo: quem oro, ut seruet harum re-  
gionum Ecclesias, & earum hospitia, & doctrine  
studia. Huiusmodi huc uenerunt scholastici Hungarici, qui  
narrat, in Pannonia iam propter lucem Turcica prae-  
sidia non late uagari: sed tamen oppida hoc anno oc-  
cupata, Temeswar & Lippiam, eos retinere.

De controuersijs Stancari & Musculi, Deo iu-  
uante pie respondebimus. Utinam de his tantis re-  
bus pij & docti inter se colloqui possent. Profecto  
maiores controuersiam mouet Stancarus, quam  
antea Balticus orator. Sed de his copiosius alias.

Bene ualete, Die 16 Ianuarij.

Philippus Melanchthon.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Sum  
E 2 hortatus

hortatus medicos uicinos fonti Saxonico, ut edant ueram descriptionem scaturiginis, & effectuum. Intelligo autem scaturiginem esse in terra metallica, cuius usus est in emplastris: & uim habet dissipandi lentos fluxus & tumores, ut Dioscorides etiam dicit, & nervos recreat. Ideo fons ille sanat membra affecta paralyti, ut iam aliqua exempla testantur: ac iudico sanationes physicas esse, et singulare Dei beneficium. Scio multa inepte dici, sed uellem doctos & integros uiros edere ueras descriptiones: idque ut faciant, aliquos hortatus sum. Aqua nobis missa est, in qua uidimus multam esse *oxygleni*, uelut arenam subsidentem, metallicam terram giluam. Est & ciuis in oppido nostro honestus uir, qui habet languefactos pedes paralyti: quem sum hortatus, ut experiatur fontis illius naturam. isque iam eò uehitur. Bene ualete. Mitto uobis pagellas. 21. Aprilis, Anno 1556.

Philippus Melanchthon.

Amico cuidam, Theologiæ doctori, S. D.

Memini quo argumento literas impetrari tibi à ducè Augusto uolueris. Sed uideo alio argumento scriptas. Vocat te Dux in castra, ut ibi doceas: & fortassis postea locum Antonij Musæ in ecclesia Merburgensi tibi traditurus est. Et si autem differ-

*Physikal. Natf.*

*ca. 1713, p. 47.*